

Utrum futura nondum existentia sint evidenter cognita a divina prescientia. Arguitur quod non, quia futura nondum existentia non sunt necessaria, cum possint non esse, igitur. Patet consequentia, quia evidens cognitio vel scientia solum est de impossibilibus aliter se habere, I Posteriorum.

Ad oppositum est Magister in ista distinctione 36 et distinctione 35.

Respondeo ponendo conclusiones pro solutione quaestionis. Prima conclusio est quod futura nondum existentia divine prescientie non sunt realiter presentia.

Probatur tripliciter. Primo sic: non magis futurum unum est Deo presens quam aliud, sed creatio passiva creature eius futura non est actu presens Deo, igitur. Probo minorem, quia aliquando creatio anime Antichristi que virtuti Dei creative coniuncta erit accidentaliter essent presens ipsi Deo, et per consequens Deus actu animam Antichristi crearet, quod est falsum.

Secundo sic: illud quod in se non existit nulli coexistit, sed nullum futurum in se existit, igitur. Maior patet, quia omne coexistere includit existere. Et minor patet, quia alias futurum non esset, igitur nullum futurum Deo coexistit. Tunc sic: omne quod est presens alicui ipsi coexistit, sed futura nondum existentia Deo non coexistunt, igitur sibi non sunt ponentia.

Tertio sic: futura nondum existentia non sunt simul cum Deo, igitur non sunt sibi presentia. Patet consequentia, quia presentia simultatem rei presentis cum re cui presens est includit. Sed probatur antecedens, quia si futura essent simul cum Deo, tunc quero de illa simultate que est habitudo media et relatio creature ad Deum aut mensuratur eternitate aut tempore. Non eternitate, quia tunc aliquid quod Deus non est mensuraretur eternitate et esset eternum, quod est falsum, nec potest mensurari tempore, quia nec tempore preterito, quia quod preterit nondum est. Nec tempore futuro, quia illud nondum actum est, nec tempore presenti, quia eius fundamentum nondum est, scilicet creatura creabilis et futura etc. Et confirmatur, quia omnis relatio creature ad Deum est temporalis similiter omnis relatio Dei ad creaturam Deo convenit ex tempore. Talis autem simultas vel presentialitas creature ad Deum vel econverso est quedam relatio Dei ad creaturam.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: Dei existentia et presentia est omnino immutabilis et invariabilis, igitur futura nondum existentia sibi sunt presentia. Antecedens patet distinctione 8 primi et Iacobi 1. Sed probatur consequentia, quia si futura nunc non essent Deo presentia et aliquando tamen sibi erunt presentia, tunc mutatio et successio esset circa Dei presentiam, quod omnino falsum est. Et confirmatur, quia si res non essent eternaliter Deo presentes, sequeretur quod Deus aliquid aspiceret ut preteritum aliquid ut futurum et aliquid ut presens. Sed hoc stat contra Augustinum Super Psalmum 49 dicentem apud deum nihil preterit, nihilque futurum est, cum illo sunt omnia futura et ei non detrahuntur preterita.

Secundo sic: sicut se habet Dei immensitas ad omnia loca, sic se habet Dei eternitas ad omnia tempora. Sed omnia loca sunt Deo presentia, et ei coexistunt ratione sue immensitatis, quia nec potest deesse alicui loco, igitur et omnia tempora presentia, preterita et futura coexistunt divine eternitati igitur et omnia mensurata tempore preterito, futuro atque presenti.

Tertio sic: quicquid nunc eternitatis potest attingere attingit in actu, alioquin esset in potentia propter quod Philosophus ait 3 Physicorum quod in perpetuis non differt esse et posse. Sed nunc eternitatis potest attingere omne tempus et omne quod futurum est, igitur actualiter attingit. Ex quo sequitur quod omnia, etiam tempore futuro mensurata, a Dei eternitate attinguntur, et per consequens quod omnia divine prescientie sunt praesentia. Ista expresse videtur esse intentio Boetii libro 1 De consolatione dicentis quod "eternitas est interminabilis

vite tota simul (74va) et perfecta possessio", sed non simul et totaliter possideret omnia, si res sibi succederent pretereundo et subsequendo, igitur.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam. Ad probationem dico quod si futura secundum eorum essentie et realiter non sunt modo Deo presentia, tamen aliquando erunt ex hoc non sequitur Dei mutatio vel aliqualis variatio, sed rerum que aliquando sunt future, aliquando presentes, sicut ponitur exemplum: si ponatur turris quedam stabilis et circa eam moveatur aliqua musca, et ab ipsa elongetur et postea aproximetur, vel una moriatur alia postea generetur, non sequitur ex hoc mutatio turris, sed musce vel muscarum. Ad confirmationem dico quod sicut res secundum earum realitatem et in natura propria non sint omnes Deo insimul presentes, tamen cum hoc stat quod in eius prescientia nihil preterit nihil quam futurum est quantum ad esse cognitum, quia Deus cognoscit entia non ipsa intuendo in proprio rerum genere principaliter, sed in essentia sua que res omnes preteritas presentes et futuras verius manifestat et representat, quam representari posset in natura propria nec hoc debet videri impossibile, quia videmus ad sensum quod unus homo verbis alicui clarius representabit virtutes unius lapidis et conditiones eius quam manifestaret lapis in natura propria, igitur quanto magis divina essentia rerum omnium est perfectissime representativa. Sunt igitur omnia divine prescientie presentia, non in natura<s> proprias, sed in esse eminenti ipsa representante vel in esse proprio cognito.

Ad secundum dico quod sicut se habet Dei immensitas ad omnia loca existentia sic et eius eternitas ad omnia tempora existentia. Si autem loquaris de locis non presentibus, sed solum futuris, dico quod Dei immensitas illis non coexistit presentiatu, et sic nec dei eternitas rebus futuris coexistit, nisi modo predicto in solutione secundi argumenti.

Ad tertium nego antecedens, nec plus est verum quam istud quicquid Deus potest agere agit actualiter. Ad Philosophum dico quod loquitur de actu primo non de secundo. Et cum dicitur quod alioquin Deus esset in potentia vel nunc eternitatis quod idem est quod Deus. Dico quod potentia accipitur dupliciter. Uno modo pro materia et potentia essendi vel non essendi et sic dicit in perfectionem et non ponitur in Deo. Alio modo pro forma et virtute operandi vel agendi, et sic cum Deus sit virtutis in- (79vb) finite est etiam potentie infinite propter quod 'omnipotens' vocatur. Argumentum autem concludit de secunda potentia quam in Deo esse concedo. Ad Boecium dico quod per illa verba solum hoc intendit quod Dei esse quod est eternum esse non mensuratur tempore et quod omnem suam perfectionem habet insimul et eternaliter.

Secunda conclusio est quod futura nondum existentia a divina prescientia sunt libere et contingenter cognita.

Probatur tripliciter. Primo sic: futura nondum existentia possunt a divina prescientia esse cognita non esse futura, igitur sunt contingenter cognita esse futura. Consequentia nota, sed probatur antecedens, quia talia possunt non poni in esse cum omnia talia a divina potentia libere ponatur in esse.

Secundo sic: omne illud quod a divina prescientia potest esse cognitum et non cognitum ab ipsa est contingenter cognitum, sed futura nondum existentia possunt esse cognita et non cognita, igitur. Maior nota, probatur minor, tum quia talia ponunt poni in esse, et tunc a divina prescientia non erunt cognita, quia prescientia Dei est de futuris tantum, ut ait Magister libro 1 distinctione 35, capitulo 1, tum quia talia possunt a Deo numquam poni in esse, et sic possunt non esse futura.

Tertio arguitur auctoritate Augustini 3 De libero arbitrio, capitulo 5, dicentis quod sicut memoria tua non cogit facta esse que preterierunt, sic Deus prescientia sua non cogit facienda que futura sunt. Ex quo sequitur quod talia futura possunt non fieri et sic non esse futura et sic a divina prescientia libere et contingenter cognita, cum talis sit solum respectu futurorum.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: quando aliqua consequentia est necessaria, si non potest per aliquam causam impediri quando antecedens sit verum, nec potest per aliquam causam impediri quando consequens sit verum, sed ista consequentia est necessaria 'Deus scivit ab eterno A esse futurum, igitur A erit'. Et nulla creatura potest impedire quin antecedens sit verum, quia nullum posterius potest impedire illud quod est prius. Et quaelibet creatura est posterior scientia Dei, cum omnis creatura ab illa fuerit creata, igitur nulla creatura poterit impedire scientiam Dei et per consequens quin antecedens illius consequentie sit verum igitur nec quin consequens sit verum et ultra a erit, igitur Deus scit a fore. Et antecedens est necessarium, igitur et consequens.

Secundo sic: Deus non aliter novit (80ra) facta quam fienda, igitur. Consequentia nota, quia Deus sic novit facta quod non potest ea non nosce, igitur sic novit fienda quod non potest ea non nosce, et sic necessario, et non contingenter ipsa novit, sed antecedens patet per Augustinum 10 De trinitate capitulo 12.

Item 17 De civitate Dei dicit quod tanquam preterita narrantur quem futura prophetant ut quomodo que futura sunt iam in predestinatione Dei facta erant. Item De correctione et gratia capitulo 33 verba preteriti temporis ponit de rebus futuris tanquam iam fecerit Deus, quia iam ut fierent ex trinitate disponente.

Tertio sic: vel prescientia Dei est causa quod res prescite sint future, vel econverso. Non potest dari secundum quia oppositum expresse determinat Magister libro 1, distinctione 38 dicens "licet enim res non essent future nisi presciuntur a Deo non tamen ideo presciuntur quia future sunt; si enim hoc esset tunc eius quod est eternum est aliquid existendi causa et ab eo alienum et ex creaturis penderet scientia creatoris, quod omnino falsum est. Igitur oportet dari primum, scilicet quod prescientia Dei est causa quare res prescite sunt future et si sic scientia Dei videtur eis necessitatem facere eveniendi, sicut arguit Magister in eadem distinctione quod nec aliqua futura fuissent nisi ea Deus prescivisset, nec possunt non evenire cum Deus ea prescivit. Si autem impossibile est ea non evenire que prescita sunt videtur ipsa prescientia que prescita sunt eis esse causa eveniendi. Impossibile est autem ea non evenire cum prescita sunt, quia si non evenirent cum prescita sunt falleretur Dei prescientia. Hec omnia Magister. Et potest confirmari, quia si Deus potest non prescire que prescit igitur et potest prescire que non prescit, igitur eius prescientia est augmentabilis et variabilis etc.

Respondeo. Ad primum quando dicitur quod quando aliqua consequentia est necessaria si non potest impediri quin antecedens sit verum etc., dico quod licet proprie non possit dici quod aliqua creatura possit impedire quin Deus sciverit ab eterno A esse futurum quia impedire aliquid est ipsum contra naturam eius violentare vel voluntati eius resistere. Si sit agens liberum, potest tamen dici quod creatura potest facere maxime de actibus quod pendent ex libertate arbitrii quod Deus aliquid fore futurum presciverit vel non presciverit accipiendo facere valde large, quia si tales actus eliciat Deus presciuit ipsos fore. Si non eliciat, Deus non prescivit ipsos fore. In (80rb) libera autem potestate creature est ipsos elicere et non elicere. Potest igitur facere quod actus prescitus ad Deo non erit prescitus, et hoc in sensu diviso non composito, quia non dico quod possit facere quod Deus istum actum primo presciverit esse futurum et postea non

presciat, stante quod primo presciverit, sed potest facere quod nunquam presciverit, quia potest non elicere. Et sic intelligo sensum divisum, ut tamen inferius magis dicetur, scilicet quaestione 41 conclusione secunda.

Ad secundum quando dicitur 'Deus non novit aliter facta quam fienda', concedo quantum ad certitudinem quia ita evidenter cognoscit unum sicut aliud, et tamen cum hoc stat quod facta novit necessario et fienda contingenter sicut creatura, ita potest evidentem notitiam habere de aliquo contingenti sicut de aliquo necessario, quia ita evidenter scit se sedere dum sedet, licet contingenter sedeat sicut scit quod, si homo est, animal est, quod est necessarium. Ita in proposito potest Deus ita evidentem noticiam habere de futuris sicut de preteritis, licet unum sit contingens et aliud necessarium, et unum scit contingenter et aliud necessario, ratio quia Deum scire hoc esse vel fore vel fuisse non est aliud quam hoc fore fuisse vel esse. Vel potest dici quod non aliter novit facta quam fienda, quia non per mutationem sui novit preterita esse facta et futura esse futura.

Ad tertium dico cum Magistro ibidem, scilicet distinctione 38 primi, quod prescientia Dei est causa rerum, et hoc solum causa sine qua non, accipiendo prescientiam pro notitia tantum. Si autem accipiatur prescientia ut includit notitiam et beneplacitum, sic proprie dicitur causa ipsorum que presciuntur, sed tunc dico quod ipsorum est contingens causa, non necessaria.

Ad argumentum igitur Magistri quando arguit quod impossibile est ea non evenire cum prescita fuerint, dico quod ibi magister loquitur arguendo vel quod loquitur in sensu composito, non diviso, quia ista non stant simul: quod Deus hoc presciat futurum, et quod hoc non sit futurum, sed bene potest Deus illud nunquam prescivisse, et sic potest illud nunquam futurum esse vel fuisse.

Ad confirmationem patet quod illa procedit in sensu composito non diviso, ut dictum est in solutione primi.

Tertia conclusio est quod futura nondum existentia sunt evidenter cognita a divina prescientia.

Probatur tripliciter. Primo sic: omnia futura nondum existentia (80va) sunt futura, igitur omnia talia a divina prescientia sunt evidenter cognita. Antecedens notum ex terminis, sed probatur consequentia, quia nihil potest esse futurum nisi a Deo sit evidenter cognitum quoniam ideo sunt futura quia a Dei prescientia precognita et non econverso, ut ostendit Magister libro 1 distinctione 38.

Secundo sic: presentia et in rerum natura actualiter existentia sunt evidenter cognita a divina prescientia, igitur et futura. Patet consequentia, quia non aliter scivit creata quam creanda, ut ait magister libro 1 distinctione 38 et sunt verba Augustini. Antecedens patet, quia evidenter novit facta quam aliqua creatura, tamen aliqua creatura potest habere de factis notitiam evidentem.

Tertio sic: non minus est immensa Dei scientia vel prescientia quam sit immensa potentia vel essentia, igitur. Patet antecedens, quia tam scientia vel prescientia quam potentia vel essentia sunt una res simplicissima. Sed consequentia probatur, quia eius scientia sic est immensa quod propter eius immensitatem nusquam deest nec deerit et eius potentia sic immensa quod propter eius immensitatem omne quod est producibile potest producere, igitur et eius scientia vel prescientia sic est immensa quod se extendit ad omne scibile. Ista conclusio habetur Ecclesiastici, 23 *antequam crearentur omnia nota sunt ei sicut et postquam consummata*

sunt. Item Ad hebraeos, 4, *omnia nuda et aperta sunt oculis eius*. Item Augustinus, 5 De trinitate capitulo 8. Deus optime et veracissime dicitur cuncta scire antequam fiant, et ibidem capitulo 9 confiteri esse Deum et negare eum esse prescisum futurorum apertissima insania est.

Contra conclusionem istam arguitur tripliciter. Primo sic: nullum non determinate verum est ab aliquo evidenter cognitum, sed futurum esse futurum non est determinate verum, igitur nec a divina prescientia etc. Maior patet, quia quodlibet scitum est verum et quodlibet verum est determinate verum. Et minor patet, quia quodlibet futurum potest non fuisse a Deo prescitum quia stat contingenter prescitum ut dicit precedens conclusio, et per consequens potest non esse futurum. Hoc etiam patet 1 Perihermeneias; aliter conciliari vel negotiari non oportet.

Secundo sic: omne scibile est demonstrabile, sed nullum futurum est demonstrabile, igitur nullum futurum est scibile, igitur nec divina prescientia precognitum. Maior apparet, quia (80vb) scientia est habitus conclusionis demonstratae, 1 Posteriorum. Et minor apparet, quia quodlibet futurum potest non esse, quia aliter Deus cogere ad illud producendum in esse. Illud autem quod potest esse et non esse non est demonstrabile.

Tertio sic: futura non sunt, igitur non sunt scibilia. Consequentia nota, quia ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis nam sequitur 'est scibile, igitur est', sicut sequitur Socrates est homo, igitur Socrates est' a tertio adiacente ad secundum adiacens. Sed antecedens patet, quia si futura essent, iam non essent futura, sed presentia, cum futurum distinguatur contra presens.

Respondeo. Ad primum concessa maiore nego minorem, immo ut magis apparebit quaestione 41 conclusione prima. Cuiuslibet futuri etiam contingentis altera pars est determinate vera, tum quia aliter aliqua propositio universalis esset determinate vera, ut puta quodlibet futurum cuius nulla singularis fuerit determinante vera, etiam si formaretur, quod non est verum. Et cum probatur quia quodlibet futurum potest non esse futurum quia potest a Deo non fuisse prescitum, dico quod verum est in sensu diviso, et tunc numquam fuisset futurum, sed non in sensu composito, scilicet quod primo sit futurum et postea non sit futurum nisi per propositionem eius in esse. Ad secundam probationem Philosophi primo Perihermeneias, dico quod ibi Philosophus vult dicere quod de talibus non est determinata veritas apud nostrum intellectum, licet bene in se et apud intellectum divinum. Vel dicendum quod de futuris est determinata veritas de inesse immo, etiam omnis actus voluntatis futurus sic est determinatus de inesse, quia scilicet sic erit, sed sunt indeterminata de possibili, quia cum hoc stat quod aliter potest esse ut dicebatur in solutione tertii argumenti contra secundam conclusionem prime questionis.

Ad secundum dico quod omne scibile est demonstrabile et dico quod duplex est scientia. Una que est simplex et perfecta rerum intuitio in genere proprio vel in representativo perfectissimo, ut quia video te sedere scio te sedere, et ista non requiritur demonstrationem. Alia est discursus silogistici conclusio, et ista requirit demonstrationem. Prima potest esse de omnibus, tam contingentibus quam necessariis. Secunda vero solum de necessariis. Primo modo Deus habet scientiam de rebus, scilicet per simplicem intuitum sue essentie representantis omnia, tam (81ra) prescientia quam preterita quam futura perfectissime, et non secundo modo.

Ad tertium concedo quod sicut futura non sunt scilicet in genere proprio sic nec scibilia sunt in genere proprio. Sed quia sunt eminenter et perfectissime a divina essentia representata etiam modo perfectiori quam in proprio genere possent representari, ideo in tali representatione

sunt perfectissime cognoscibilia. Vel potest dici quod futurum est non quidem presens, sed futurum, quia aliquid est futurum.

Sed contra: futurum nihil est, igitur nihil est futurum. Patet consequentia per conversionem simplicem. Respondeo quod si li 'nihil' equaliter supponat in convertente sicut in conversa, quod conversio est concedenda, aliter non. Nam in ista 'futurum nihil est' li 'nihil' stat solum per hiis que sunt et concedo secundam, scilicet istam nihil istam nihil est futurum, id est nihil quod est est futurum, sed si in prima stat solum pro hiis que sunt et in secunda etiam pro hiis que sunt et que esse possunt, conversio non valet.

Ad argumentum primum in principio quaestionis respondeo sicut ad argumentum contra istam conclusionem tertiam, quia illud argumentum procedit de scientia que est conclusio discursus silogistici que scilicet solum habetur per discursum, et illa non est in Deo, non autem procedit de scientia simplicis intuitus que est in Deo, ut dictum est in dicta solutione argumenti secundi, contra tertiam istam conclusionem.